



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Institvtio De Salvtari Poenitentia Peccatoris

Viexmont, Claude de

Coloniae Agr., 1725

VD18 1361598X

Tertiæ partis conclusio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50113)

Voluntas
reputatur
pro facto.

iniurias reddis, quàm acceperis: facis mala, quæ potes, minaris, quæ facere non potes, & dum foris aut non potes aut non audes iniuriam tuam vindicare, adhuc tamen intus inimicitias æstuas, & frustra teipsum, non inimicum crucias. Sicut enim bona voluntas cum deest copia agendi, remuneratur, ita & maleuola tua voluntas ultionem moliens mulctatur: quia non tam consideratur quod fecisti, quàm quod, si licuisset, facere voluisti.

Coniugia
toleranda.

Itaque, frater charissime, impatientis animi tui obstinationem inflecte ad misericordiam: & Domini Dei nostri vestigia sequendo durum tibi non sit toties peccanti fratri ignoscere, quoties in te potest peccare, vt & peccatorum, quæ quotidie in Deum committis, remissionem quotidie assequaris: vt dum proximo remittis parua & leuia, tibi à Deo remittantur magna & grauia. Si enim verè poenitens, ad perferendas iniurias paratus esse debes: nec vlllo modo commoueri, si quis tibi obiiciat crimen peccati tui.

TERTIÆ PARTIS CONCLUSIO.

OB hæc & multa alia, quæ in hanc sententiam dici poterant, planè vides, frater charissime, in quàm damnoso statu manes, quamdiu istas inimicitias contra proximum tenes. Vt igitur ad vitam sanctam resurgas, si quid habes erga proximum tuum, dimitte, & dimittetur tibi: quòd si ei non di-

mi-

miseris, tua tibi à Deo dimitti frustra speraueris: talem experieris Dominum, qualis fueris erga conseruum tuum. Ei qui qualibet de causa læserit te, dimittendi habes potestatem, imò necessitatem: si autem in Deum aut proximum tuum peccauerit, tui non est arbitrii dimittere, sed vt legitimè puniatur, debes procurare, non maleuola voluntate, sed ea qua pater filium corripit quem non potest odisse. tu verò econtrario in Dei & proximi tui iniuria benignus es, in tuis verò contumeliis odia exerceas. In quo planè ostendis, quòd nec Deum nec proximum tuum diligis. Nec mirum, si non diligas Deum, quem videre non potes: cum diligere non possis proximum tuum, quem vides, quem si prior offendisti, prior reconciliare ei: si est inimicus, esto ei beneuolus, vt tibi fiat amicus. Imò etiam si prior læsit te, velis autem in iustitia perfectus esse: offensus præueni offendentem, vt duplicem apud Deum consequaris mercedem: vnā quia passus es iniuriam, alteram, quia inimicum tuum prior inuitas ad concordiam. Sed plerunque reconciliari appetis, verùm ex superbia ire ad satisfaciendum prior erubescis. Perpende, quid ad eruditionis nostræ exemplum dicat Paulus, pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Ecce, inter nos & Deum discordiam peccando fecimus, & tamen Deus legatos suos prior ad nos mittit, vt nos qui peccauimus, cum Deo ad pacem veniamus. Erubescat igitur superbia tua, nisi proximo

Nostra iniuria toleranda.

Dei & proximi iniuria non toleranda.

Consilii est, non præcepti.

Nota.

1. Cor. 5.

prior satisfacias: cùm vt sibi reconciliemur
per legatos suos obsecret Dominus noster IESVS
CHRISTVS, qui est super omnia
Deus benedictus. Amen.

TERTIÆ PARTIS FINIS.

INSTITVTIONIS PARAENETICAE

AD

POENITENTIAM.

QVARTA PARS,

DE

PECCATIS SACERDOTI CONFITENDIS.

QVOD PECCATVM DIMITTITVR,
SI QVIS CONTRITO CORDE
ID CONFITEATVR.

CAPVT PRIMVM.



Varo non vis peccata tua confiteri
timens, ne si ea confitearis Sacer-
doti, cui hactenus vir bonus &
honestus visus es, posthac pecca-
tor videaris, sicque ei appareat tua hypocrisis.
R. Imprimis, frater charissime, exemplum tibi
propono tale. Latro quidam coram Rege fu-
ratur, in latrocinio suo deprehenditur, & fur-
tum suum tamen manifestum fateri non vult;
vnde morti adiudicatus, ad suspendium liga-
tus

Latro in
furto à Rege
deprehen-
sus.